

quia semper albae sunt, cum Maenae colorem immutent. Eum docti pisciculum esse volunt, quem Antipolitani hodie *Garum*, Veneti *Hirulam* seu *Herrulam*, Massilienses *Hiaret*, Galli Narbonenses et Hispani *Picarel*, quod fumo induratus et salitus, linguam acrimonia vellicet, Neapolitani *Cerrum*, quod vocabulum *Gaza* retinuit, nominant. Rondeletius *Garum* veterum esse putat, tum earundem nomenclaturarum affinitate, tum quod ex eo *garum* fiat, idque teste Plinio, optimum. Trium *descriptionem* Al-drovandus tradidit.

Plin. H. N.
l. 31. c. 7.

Primus, Maenae et Boopi similis est; notis tamen quibusdam ab iis distinguitur. Boops enim lituris caret; quibus praedita *Smaris* est. Boopi rostrum quasi recisum, *Smaridi* longiusculum. Boops item quam *Smaris* rotundiori est corpore, quamobrem *Rotundetus* Romae nominatur. Differt vero a *Maena* etiam, quod et asperiores et paulo latiores squammas habeat. Lineae laterum utrique rectae, sed in *Smaride* quadam serie, in *Maena* nullo plane ordine dispositae: suntque argenteae et subaureae, obscurae, a capite ad caudam ductae. Estque *Maena* minor, digitum nimirum vix superans, corpore item strictiore. Est denique peculiaris ei nota, qua et a *Maena* et a *Boope* discernitur. Cum enim os aperit, labia exerit tanquam ex tubo pyxidatim infarcto. Pinnis alioqui, aculeis, cau-

da, partibusque internis *Maenae* similis est: eodemque modo colorem, teste Bellonio, mutat.

Altero loco exhibitus piscis, *Smaris* Bellonii videtur. Capite est fere violaceo, prono nempe, nam supino albicat. Eodem colore totum corpus, sed multo dilutiore tinctum est. Lineae quinque insignes flavescentes a capite ad caudam perferuntur. Pinnae etiam flavescent. Exiguam habet et vix conspicuam lituram.

Tertius *Smaridis* peregrinae nomine missus, tergore est caeruleo, caetera subviridi, nigris et argenteis punctis conspersus. Prono capite ad violaceum vergit, supino vero candidat. Pinnae omnes fere crocei coloris sunt, punctis conspersae nigricantibus. *Degunt* inter herbas in algoso littore; eodemque cum *Maenis* cibo vesci, verisimillimum est. Inter foecundas recenset Ovidius. Pasta, ex pane, caprillo caseo, et purissimo polline, inescantur. Optimos pisciculos esse Hesychius scripsit. Optimum et suavissimum ex iis *Gavium*, apud Guilielmum Pelicerium Episcopum Monspeliensem Rondeletius vidit. *De usu in Medicina* proditum, caput tostum ad pilorum defluvia cum adipe ursino conferre; excrecentes ulcerum oras, ab ejusdem pulvere reprimi, thymosque et clavos absumi. Plinius alicubi cum ptisana sumptas, vel cum foeniculo decoctas mulieribus lactis copiam facere scribit, alibi, tritas illitas, verrucas tollere, et verendorum pustulas discutere tradit.

Plin. H. N.
l. 32. c. 11.

ARTICVLVS. XXIII.

De Boope, seu Boce.

TAB. XX.
8. 9.

TAB. XXII.
6.

Athen. Di-
pnos. l. 7.

Piscis, quem nos *Boopem* dicimus, is Aristoteli citante Athenaeo βώξ, Numenio βόνξ, qua etiam appellatione Oppianus utitur, Speusippo et aliis Atticis βόαξ, seu παρὰ τὴν βονὴν a voce, ideo Mercurio sacer habetur; seu quod βόος ὀφθαλμὸς ἔχει, id est bubulos oculos seu magnos habeat, dicitur. Tertia est *Maenis* species, pedis, ut Rondeletius scribit, magnitudine, qui etiam *tres* describit. Prior piscis est

marinus, littoribus gaudens, ex *Maenarum* genere, pedali magnitudine, corpore satis rotundo, non compresso, quale fere est *Mugilum*. Capite brevi, et parvo. Oculis maximis, pro corporis magnitudine, utpote qui totam fere capitis regionem occupent. Colore est vario. In dorso a branchiis ad caudam lineas ductas habet, alias aureas, alias argenteas, minus quam in *Salpa* illustres: ob quas ab Aristotele in libro